

218

216

222

203

212

227

207

speluncam sicut bestias a se repulerunt; illos autem peregrinos,  
qui jam numerati descenderunt et circa asinos erant cum ba-  
culis percusserunt, et ad speluncam recurrere compulerunt. Et  
ita hoc die etiam in specu mansimus, nec unquam poteram  
experiri, quac causa fuerit illius repulsionis.

**Descriptio portus Joppen, et [de] civitatis illius anti-  
quitate et sanctitate.**

Antequam de portu illo recedamus, videre de eo convenit,  
quando ortum habuerit, et in quibus locis sacrae scripturae  
insertus sit praecipue, cum ad eum amplius non sint peregrini  
reversuri: quia in portu Alexandriae naves ascendimus, quando  
revertebamur, nec illum portum ulterius vidimus. Joppen  
portus antiquissimus et civitas vetustissima provinciae Palaes-  
tinae, et fuit octava mundi civitas, ante diluvium Noë  
aedificata, in cuius signum fuerunt ibi repertae arae post  
diluvium illorum deorum, qui ante diluvium colebantur.  
Est autem haec civitas binomina. Dicitur enim Japha a  
Japhet, filio Noë, qui hic dicitur ad tempus habitasse, eam-  
que reaedificasse post diluvium; et dicitur Joppen a Job, viro  
simplici et sancto, quem etiam hic moratum fuisse aestimant.  
Porro in divisione terrae XII. tribuum Israel, cecidit haec in  
sortem tribus Dan. De hoc portu loquitur S. Jeronymus de  
distantiis locorum, dicens: Joppe oppidum Palaestinae in tribu  
Dan, ubi hodie quoque saxa monstrantur in litore, in quibus  
Gigas virgo, Andromeda, filia Cyphei, matris crimine et Amonis  
sententia alligata scopulo, et monstro marino exposita, stabant  
que parentes ejus in litore flentes. Perseus autem, qui fuerat  
totius nobilitatis Graeciae pater, filius Jovis et Danis, habuit  
equum alatum, et scutum Palladis, et talaria ensemque Mer-  
curii. Hic de monte Ydolii in excelsum volatum arripuit, et  
dum in excelsa volaret in equo suo alato, vidi virginem illam  
scopulis alligatam, in portu Joppe, et marinam ingentem beluam  
eam devoraturam. Hoc viso statim advolavit, et pactus cum  
parentibus, si eam a belua liberaret, uxor sua esset. Quod  
cum parentibus placuisset, venientem horridam beluam intere-  
mit, et virginem liberavit et nuptias cum ea habuit. Quod  
videns Phyneus, frater Cephei regis Joppe, cui ante sententiam

167

317

117

Ende

Anfang

